PROFESSORES HVMANIORVM LITERARVM COLLEGII INGOLSTADIANI SOCIETATIS IESV, LECTORI S.

Vetus eſt conſuetudo ſtudioſe Lector, & in plerisq; Academijs iam pridem recepta, ut circa diem Diuo Lucæ ſacrum, prælectionum & exercitationum literariarum anniuerſaria fiat renouatio. Nec ſine cauſa traditam hanc à maioribus conſuetudinem plerique tam diligenter ſeruant, cùm hoc tempore ſtudioſis adoleſcentibus, propter commodiorem cæli temperationem, ſimul & otium, quod ferè maius, quàm in Vere uel in Aeſtate ipſis datur, uegetiorib. corporis uiribus, maiorique animi tranquillitate ad literarũ ſtudia ſeſe referre liceat. Accedit et illud, quod ſic plerique omnes à natura comparati ſunt, ut eiſdem diſciplinis eodem modo traditis, non diu abſque tædio ſuam nauent operam: contra uerò, mutatis aliquantulum ijs, quæ tradenda ſunt, uel tradendi ordine uariato, nouis ueluti ſtimulis ad earum diſciplinarum ſtudia incitentur, quarum antea propter ueterem illum ordinem, ſatietate tenebantur. Nos igitur quibus pro inſtitutæ uitæ ratione nihil prius eſt, quàm de iuuentute quàm poſſumus optimè mereri, publicisq; Eccleſiæ cõmodis, ac præſertim reipublicæ, in qua degimus, inſeruire, tam honeſtum & oportunum incitamenti genus, hic, ubi Illuſtriſſimi, & cùm primis Catholici, Bauariæ Principis Alberti authoritate, Profeſſorum munere fungimur, nequaquam prætereundum putauimus. Hoc enim modo ſperamus fore, ut non ſolùm in bonæ indolis adoleſcentibus pietatis, & literarum ſtudia, uel excitentur, uel renouentur, ſed etiam ad eorum pietatem & eruditionem (ſi qua fuerit) multo maior indies fiat acceſſio: ſimulq; doctiſſimis almæ huius Academiæ Profeſſoribus, & plures, & magis indies idoneos auditores offeramus. Vale ſtudioſe Lector, & quæ ad Dei gloriam, et publicã Chriſtianæ Reipub. utilitatẽ referri omnino uolumus, ea tu pariter æqui boniq; conſule. Ingolſtadij. 7. Idus Octob. Anni 1568.

CATALOGVS LECTIONVM ET EXERCITATIONVM,
quas, Chriſto Duce, V. Idus Octobr. auſpicabimur.

PRIMA CLASSIS.

IN RHETORICIS.

Hora 7. Tres libri de arte Rhetorica, authore Cypriano Soarez, quibus omnia Ariſtotelis, Ciceronis, et Quintiliani præcepta ſummatim, & fideliter complexus eſt.

Hora 1. Oratio M. Tul. Ciceronis pro M. Marcello.

Hora 2. Rhetoricæ auditores componendo ſeſe exercebunt.

Hora 3. Qui idonei cenſebuntur, audient in Vniuerſitate compendium Logicæ.

A media quinta uſq; ad quintam lectio Compendij repetetur.

Dominicis diebus à 2. uſq; ad 3. theſes Logicæ pridie ante publicè affixæ diſcutientur.

IN GRAECIS.

Hora 9. Inſtitutiones Grammaticæ Grecæ Nicolai Clenardi, & Demoſthenis Philippicæ.

SECVNDA CLASSIS.

Hora 9. Liber 2. Epiſtolarum familiarium M. T. Ciceronis.

Hora 1. P. Ouidij Naſonis de Triſtib. lib. 1. & tabulæ Murmellij.

Hora 7. Ioannis Deſpauterij Syntaxis.

A media 3. uſq; ad 3. Grammaticæ precepta repetentur.

TERTIA CLASSIS.

Hora 7. Io. Deſpaute. de generibus & preteritis.

Hora 9. Epiſtolæ ſelectæ Marci Tullij Ciceronis.

Hora 1. Libellus de Ciuilitate morum, & compendium Syntaxeos.

A media 3. uſq; ad 3. principia Grammatices repetentur.

QVARTA CLASSIS.

Principia Grammaticæ mane hora 7. & poſt meridiem hora 1.

Hora 9. Formulæ loquendi.

Hora 3. Catechiſmus minor D. Petri Caniſij.

Addiſcent etiam huius claſſis diſcipuli literarum notas rectè formare.

Singulis diebus Veneris explicabitur Catechiſmus catholicus D. Petri Caniſij: prouectioribus quidem latinè, alijs autem germanicè. In quo etiam ſingulis diebus ad mediam circiter horã, modo huius, modo illius claſſis diſcipuli exercebũtur.

Singulis diebus Sabbati habebuntur in prima quidem claſſe diſputationes, in cæteris uerò utiles, de lectionibus tota hebdoma auditis, concertationes.

Caſtigabuntur diſcipulorum compoſitiones in omnibus claſſibus: & ex tempore ſingulis diebus per horam latinè ſcribendo exercebuntur.

Singulis diebus Dominicis breuiter Euangelium exponetur, primæ quidem claſſis diſcipulis latinè, alijs uerò germanicè.

Alijs autem feſtis diebus hora 12. declamando exercebuntur.

Dabitur etiam diligens opera, ut ſingulis diebus ſanctiſſimæ ſacroſicio Miſſæ hora 8. interſint. Morum præterea diligens ratio habebitur, ut adoleſcentes, quantum in nobis eſt, in pietate pariter & eruditione proficiant, omniaq; in diuini nominis laudem & gloriam cedant. LAVS DEO.

AD STVDIOSAM IVVENTVTEM IIDEM.

Ὦ νέοι εὐεπίην, κόσμον πολύγλωττον, ἀοιδούς,
  λαμπρότατον μουσῶν φέγγος ἀνασχομένους,
σχήματα, συνδέσμους, κλίσεας, γένη, ὄργανα πασῶν
  τεχνάων, ζαθέου πρῶτα τὰ βάθρα νόμου,
τήν τε πάλ' εὐσεβίην, πίστιν τε, καὶ ἤθεα τέκνων
  ἄξια Χριστιανῶν, προῖκα ποθεῖτε μαθεῖν:
δεῦρ' ἄγε πασσυδίῃ, συμβαλλομένοιο Θεοῖο,
  ταῦτά γε παρθήσει πάντα ὁ χῶρος ὅδε.
δεῦρ' ἄγε σύμπαντες, τὸ μάλιστα δ' οἱ ἀφρονέουσαν
  ἡλικίην, ὥρας, ἤματα, μῆνας, ἔτη,
λέσχῃς καὶ καρύῃς, καὶ πράγμασιν οὐτιδανοῖσι,
  παντολόγως τούτου μέχρι κατατρίβετε.
ἡμεῖς καδ δύναμιν προκοπῇ διὰ πάντα τῇ ὑμῶν
  κοινῇ τ' ὠφελίῃ μέλλομεν ἐντανέμεν.

Si cupis Argolicas latijs coniungere Muſas:
  Rhetoricen blandis ſi ſociare modis:
Si iuuat exiguis addiſcere niſibus artem,
  Siſtere conſtanter quâ ſine nulla poteſt:
Deniq; ſi pietas animi te oblectat, auitam
  Nec lubet hæreſibus contaminare fidem:
Huc propera greſſu pubes ſtudioſa citato,
  Auſpice nam Chriſto Ludus hic, iſta dabit.
Huc pueri, huc iuuenes, nucibus, nugiſq; relictis,
  Florentes pereant ne ſine fruge dies.
Præcipuè uos, qui, Muſis Chriſtoq; fauente,
  In ſacris populo quæritis eſſe duces.
Nos toti hic erimus cedat labor omnis ut in rem;
  Nec malè, uota Deo noſtra iuuante, cadet.

Ingolſtadij excudebat Alexander Vveiſſenhorn. Anno M. D. LXVIII.

162

A. 15600.